C quæ à recentioribus Tiliæ tribuuntur, probè expendet, nihil ab ijs quæ ex Plinij & Galeni ſententia retulimus differre comperiet. Nam maculas faciei abſtergere ſcribunt Tiliam, ſi illa eius ſucco lauetur. Mederi etiam morbo comitiali bibitum eius liquorem ſtillatitiũ, oculis claritatem inducere, calculum ſanare, tumores diſcutere ijdem docent. Quid multa? omnes facultates Vlmi obtinet Tilia, ideoq; uulneribus etiam recentibus ſuccurrit, & alia quæ à Dioſcoride & Galeno in Vlmi hiſtoria cõmemorantur, poteſt.

DE CHELIDONIO MAIORE.

CAP. CCCXXXI.

NOMINA.

Chelidoniũ unde dictum.

ΧΕΛΙΔΟΝΙΟΝ μέγα Græcis, Chelidoniũ maius Latinis, officinis Chelidonia, Germanis Schelkraut/Schelwurtz/groß Schwalbenkraut dicitur. Chelidonio autem, uel ſi mauis Hirundinarię, auis hirundo quæ Græcis χελιδὼν uocatur, nomen indidit, uel, ut autor eſt Plinius, quod hanc primùm inuenit, & ea oculis pullorum in nido reſtituit uiſum, ut quidam tradunt, etiam erutis, uel quod floret aduentu hirundinum, diſceſſuq; commarceſcit: id quod de minore uerè dicitur.

FORMA.

Caulem emittit cubitalem & maiorem, gracilem, adnata foliis plena habentem. Folia Ranunculo ſimilia, teneriora tamen, & colore ſubcæſia, iuxtaq; ſingula folia florem Leucoio ſimilem. Succus illi croceus, acris, mordax, cum aliqua amaritudine & odoris grauitate. Radix ſupernè ſingularis, infernè autem plures. Fructus cor
D nuti Papaueris inſtar tenuis, longus ueluti galeę conus, in quo exigua ſemina ſunt, Papaueris ſemine maiora. Huius deſcriptionis notæ omnes Chelidonio noſtro reſpondent. Siquidem fruticoſa eſt herba, cubitali altitudine, cauliculis lanuginoſis, teneris, folio Ranunculi, magis anguloſo, tenuiori, aduerſa parte cæſio, auerſa incano, flore luteo, Leucoio conſimili, ſemine Papaueris, quod in corniculis ſeu ſiliquis longis exilibus clauditur. Vulnerata ſuccum croceũ emittit, guſtum uellicantẽ. Radix in ſuperiore parte una, in inferiore parte multis luteis fibris capillata.

LOCVS.

Naſcitur in opacis & parietinis.

TEMPVS.

Chelidoniũ hirundinum aduentu florem excitat, atqueadeo toto deinceps uere & æſtate floret, quibus etiam temporibus carpitur.

TEMPERAMENTVM.

Herba hæc tertij ordinis abſoluti eſt in calefaciendo & deſiccando.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Succus Chelidonij mixtus melli, & in æneo uaſe in carbonibus decoctus, contra oculorum caliginem prodeſt. Exprimitur autem ſuccus ex folijs, radicibus & floribus incipiente æſtate, ſiccaturq; in umbra & in paſtillos conformatur. Radix cum Aniſo & uino albo pota, regio morbo medeẽ. Sanat herpetas cum uino illita. Dentium dolores commanducata ſedat.

EX GALENO.

Chelidoniũ admodum extergentis & calidæ facultatis eſt. Sed & ſuccus eius ad acuendum uiſum cõmodus eſt, utique in quibus craſſum quiddam in pupilla colligitur diſcuſsione indigens. Vſi ſunt quidam radice eius ad morbum regium à iecoris obſtructione proficiſcentẽ, in uino albo eam potui exhibentes cum Aniſo. Pari modo manſa, dentium doloribus confert.

EX PLINIO.

CHELIDONIVM MAIVS.